



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ladislavs C. 27. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

ipsoque triumpho suo est obrutus. Ex
Ferrar. & to. 3. Bav. S.

S. LADISLAVS C. 27. Iunii.

LADISLAVM Belæ primi Regis Vn-
garorum filium, imò **MARIÆ** vi-
des; ita totus ab hujus uberibus, dum
vixit, pependit, sed neque mortuus, ut
audies, dimisit. Caterùm vix alius regit
tot virtutibus aut purpuram ornavit,
aut coronam distinxit; ut minùs mirer,
si legam aulam ejus ab Angelis frequen-
tatam esse. Certè ipse ab Angelo ger-
manum suum vidit coronari, sed &
Angelum sub cervi schemate ignitis
cornibus locum vidit signare, quo pro-
missam **MATRI MAGNÆ** adem-
conderet. Eorundem Coelitem ope,
cùm in multis aliis pugnis, tum in
duello contra patrum suum Regem
Salomonem victor evasit. Etenim cùm
hic cum uno rem sibi **LADISLAO**
crederet esse, conspexit sub congreg-
sum, contra duos præterea Angelos si-
bi certamen esse, qui gladio jam jam
Salomoni graves imminebat. Noluit
igitur, etsi Hercules sibi ipse videretur,
in tot tantosque pugnare; sed abjecit
arma, pacem coluit. Toties victor **LA-**
DISLAVS coronam tamen ferre Vn-
gariæ semper respuit, nobiliorem &
immortalem ambiens, quam ut faci-
lius obtineret, facere fortiter pro terrâ
sanctâ

sanctâ constituit. In eâ proinde expeditione, cum Dux lectus esset omnium copiarum, ecce in ipso belli apparatu pulcherrimâ morte occubuit. Mortuus porrò, & curruï impositus, sine jumentorum hominumque ope in templum, quod ab eo VIRGINI structum memoravimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum orbis: at non ego etiam. Nam cur filium mirer ad matrem suam decurrere?
Ex Ant. Bonfin.

S. POTAMIOENA V. M.

28. Iunii.

Felices nos, bona si nostra, si questum virtutis & certa pietatis vectigalia noverimus: quantillo possumus ditescere! POTAMIOENA Alexandrina virgo formæ causâ cum multis conflictata procis, & in illo certamine superior, ex amoris palæstrâ in scenam crudelitatis transiit, ut ad pudoris lilia constantiæ laurum adjungeret. Aquila homo sanguinarius carnificinæ præerat, cujus in POTAMIOENAM omnem atrocitatem effudit, certus fidem illi vel vitam eripere: jactatam per omnia tormenta, denique ad rogam cum Marcellâ matre damnavit, Virginis ducendæ cura Basilidi demandata non omnino experti humanitatis, & mitioris ingenio, quàm pro tam barbaris mi-

Z 3

niste-